

Heinrich Christian Tielcke Friedrich Pampius

Obligationem Conscientiae Ex Delictis : Matth. Wesenbecius in Commentar. ff. ad lib. I. Tit. I. de I. & I. Bona Conscientia, quae est dulcis nutricula Senectutis, in omni vita conservetur!

Rostochii: Richelius, 1688

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732448654>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1688

הקבר עורתו לי

**OBLIGATIONEM
CONSCIENTIÆ EX
DELICTIS,**

Consensu Amplissimi Philosophantium

Ordinis,

Sub præsidio

**M. HENRICI CHRISTI-
ANI Giescken/**

Rostoch.

examinandam proponit

Ad diem Martii

IN AUDITORIO MAXIMO

FRIDERICUS PAMPIUS,

Soldinensis Neo-Marchicus.

Matth. Wesenbecius in Commentar. ff. ad
lib. i. Tit. i. de I. & I. Bona Conscien-
tia, quæ est dulcis nutricula Senectutis,
in omni vita conservetur!

ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIIUS, Ampl. Senat. Typogr.

ANNO M DC LXXXIIX.

1688

OBBLIGATIONEM

CONSCIENTIAE EX

DEICTIS

Consensu Vniuersitatis Philosophantium

Ordinis

Sub praesidio

M. HENRICI CHRISTI

ANNI 1700

Rostoch.

Christianus

Abdianus

In Auditorio Maximo

FRIDERICUS PAMPIUS

Sollicitus

March. Welenbeckius in Commentaria. 1. 20

lib. 1. Tit. 1. de l. & l. Bonae Conscien-

tia, p. 27. et c. in iudicio Senectus

in omnibus conservari

ROSTOCK

Impressor JACOBUS RICHARDUS Anno 1700 Typogr.

ANNO MDC LXXIII



Prodromus generalis.

Non impressum saltem est mentibus nostris $\rho\gamma\omega\sigma\iota\tau\epsilon\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega$, fatente Paulo v. 19. c. 1. Rom. Sed insuper mortales nos pollemus rite vivendi, malaque moralia evitandi notitia minime dubia, vi reliquiarum imaginis divinae. Hinc cor nostrum est instar aurei Jasonis velleris, (fuit forsitan liber $\omega\epsilon\iota\ \tau\ \chi\epsilon\upsilon\sigma\omicron\mu\iota\alpha\varsigma$) de quo obviant Eruditorum judicia varia ac diversa. Alias Varro, Teste Augustino lib. 6. de Civitat. Dei c. 5. tria constituebat Theologiae genera, (1.) Mythicum, (2.) Physicum, (3.) Civile, quod ultimum in urbibus cives maximè, inquit, & Sacerdotes nosse atque administrare debent: Innuebat potissimum, connata rectè vivendi principia magis magisque in urbibus in lucem protracta. Ejusmodi connata principia vel flocci habentes, vel audaces illic adversa operantes, dubio procul, modò altiùs facta volvant ac revolvant, obligant Conscientiam delictis, & ex illis. Hæc obligatio Conscientia ex delictis Thema nobis erit discursus Academici succinctè coordinandi. Coeptis annuat per nullas leges Civiles ligatus, qui interim sibi ipse lex est, Summus!

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

§. 1.



Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, pr. instit. de oblig. Hunc ferè in sensum Paulus Jctus: Obligationis Substantia ($\lambda\omicron\gamma\omicron\ \tau\ \epsilon\sigma\iota\alpha\varsigma$, ratio essentia,) non in eo consistit, ut corpus nostrum aut servitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum, l. 3. ff. de oblig. jus ergo cujusvis obligationis est principium causale remotum, proximum hominis factum. Jus, inquam, idque potissimum naturale, ex quo ceu scaturigine deinde & Civilis oritur

Δ Δ

oritur obligatio, l. 5. de I. & I. Innuimus verò *jus* non naturale primævum, quod *instinctum naturalem*, ex *sensitiva facultate* promanentem insinuat. Hinc *Ulpianus* de *jure hoc*, *παχυλῶς* tali: *Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit*, l. 1. §. 3. de I. & I. Fufius de his differit Cic. in Orat. pro Mil. item lib. Offic. 1. & c. Pressius *jus naturale* attendimus, quod *Secundarium*, vel *Gentium aliàs* dicitur: *Estquè recte rationis dictamen, actum humanum ad rectitudinem moralem exigens*, vid. B. Neudecker in *Analyt. Dissert. ad insit. ad pr. tit. 2. Disp. 1. Hoc jus ex necessitate ligat*. Illud tò *ligare* jussione frequentissimè absolvitur, tumquè *jus* causabitur causalitate morali, cui neutiquam influxus in causatum veritatem denegamus. Ad hoc validum sanè vinculum, per quod vel interiora contremiscunt, jure quadrabit vocibus aliàs tributum:

Verba ligant homines, taurorum Cornua funes;
Cornu bos capitur, voce ligatur homo.

Necessitas, quæ ligat *jus*, dependens quidem, at insimul, sensu sano, absoluta erit. En! causa efficiens (*jus rationis actum normans*) ex qua maximè hanc dijudicamus *necessitatem*, ligando naturaliter agit. Hinc cessat hypothesis, quæ in efficiente fundata poscit, ut contendunt, non-naturaliter agentem. Hæc ratione demum *juris necessitas*, quæ obligat, *absoluta* dicetur. Sed forsitan omni explosa *necessitate*, mera hic obviat *contingentia*, *afficere enim videtur hæc necessitas liberè agentes*, vulgari verò hypothesis *libertas voluntatis Contingentiæ* (internæ) æquipollere ducitur. Liqvet hoc vel ex Solo *Scharfio*, qui in *Disput. Metaphys. Disp. XI. de necessario th. 71.* communia premedo vestigia, *Contingentia*, inquit, *intrinsicè est ipsa libertas voluntatis, quæ est agere et non agere potest. Et sic, pergit, etiam in Deo datur contingentia, quia scilicet est agens liberum et voluntarium.* Resp. (a) philosophamur crasè, confundendo *contingentiam*, quæ rerum est adjunctum, cum *libertate*, voluntatem afficiente, ut accuratè observavit *Excell. Dn. Pascha* in *Colleg. Ontol. cap. 4. Sect. 1. Dogm. præcept. 4. §. 1.* (b) parum dextrè argumentamur à toto obligato homine ad obligans *jus*. *Necessitas*, de qua fermo, *πρώτως* activè, *Synonymicè* ferè ligans *jus*, *δευτέρως*, passivè, paronymicè obligatum hyphistamenon respicit. (c) Quamcunquè *contingentiam*, maximè illam, quæ est ratione causæ primæ, dependentibus assignamus cunctis; quis vero exinde colliget omnigenum *Contingentiæ* gradum? Effectus sanè non per emanationem saltem, sed alias etiam in caducis his naturalem schesin (removemus enim supernaturalia cum præternaturalibus) ad causam maximè efficientem, supponentes pro absolutè necessariis haut raro venditamus. Di-
 cta

Ad juri nostro necessario liganti applicentur. Res frequenter factis contra-
distinguitur per §. final. instit. de Verb. Oblig. Transeat acceptio Philosophi-
 ca; at in proposita descriptione, *res & ipsa facta*, ut supra docuit *Paulus* ci-
 tatus, quin & *passiones ac poenas* complectitur, estque *rem solvere* idem, quod
 prestare, *conf. hic Dn. Rban in Dissert. de Oblig. th. 6. 7.* potior obligationis di-
 visio ducitur, quia alia est naturalis, alia civilis, quibus demum mixtam addere
 amant: Illa naturam, ista legem habet ducem; hæc ex utriusque; concursu exur-
 git. Per Participationem utriusque; *medii ultimam hanc intermediam dicerem.*
Definitio obligationis, (verba sunt Professoris quondam in hac Alma celebra-
 tissimi, jam *εν ευλογία* versantis) *non de alterutâ, sed de mixtâ, hoc est, de na-*
turali & Civili simul intelligenda est. Communis ferè & Modernorum mens eò
 redit. Largior de descriptione data, vel his sejunctis verbis: *Secundum nostræ ci-*
vitatis jura, modò tum *jus* in abstractione præcisiva à naturali & civili suppo-
 namus. Monemus & hoc nostræ considerationis esse *obligationem naturalem.*

§. 2. *Conscientia* aliis dicitur Cordis scientia, forsân ansâ effati Pauli-
 ni vers. 15. c. 2. Rom. *ἔτιν ἐνδείκνυσθαι τὸ ἔργον τῶ νόμου γραπτῶν ἐν ταῖς*
καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρέσθαι αὐτῶν τῆ συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων
τῶ λογισμῶν κατηγορεῖντων, ἢ καὶ ἀπολογεμένων: aliis Concludens scientia:
 Syllogismus practicus, &c. Quæ cuncta, hisque haut absimilia, *Conscientiam*
παχυλῶς dicunt. Pressius: *Conscientia* est fundamentaliter Scientia laxè su-
 mendo *Ἐπιστήμην*, ut *νῦν* ac *σοφίαν* complectatur simul. Ex ratione ergo
 scientiæ menti nostræ ritè assignatur. Alias mens integram animam rationa-
 lem, maximè si priscos Ethnicos Spectes, exprimit. De hujus (animæ) natu-
 râ Eruditi olim acerrimè disputabant. Sic *difertissimus Muretus in Orat. de*
dignitate & præstant: Studii Theol. Alius animum (animam) humanum (hu-
manam) cor ipsum esse dicit, alius cerebrum, alius cordi suffusum sanguinem, a-
lius Spiritum innatantem Sanguini, alius harmoniam quandam; alius eum
(eam) ex numeris conficit, alius ex atomis; ut mihi quidem ista consideranti cer-
tamen aliquod insaniam suscepisse videantur. Huc collimantia reliquit B. no-
 ster Müllerus in *seinen geistl. Erquickst. Cent. 1. p. 99.* Hanc animam pu-
 rum figmentum esse, nec nobis nec aliis competere Supponit homuncio ille,
 quem blaterantem inducit Cicero, 1. Tusc. quæst. *nihil omninò esse animam &*
hoc esse nomen inane, frustra que animalia & animantes appellari: neque in homi-
ne, neque in bestia esse animam; en bestiam! Frequenter mens, hodiè potissi-
 mum, potioem animæ partem, appetitui rationali contradistinctam, (licet
 non rarò *Specialem habitum, intelligentiam scilicet denotet*) infert. Intel-
 lectus

lectus hic in quavis Substantia, in essendo æquè ac existendo immateriali, qualis est anima nostra, dabitur necessariò. Rite Thomas p. 1. quæst. 14. a. 1. *Immaterialitas alicujus rei est ratio, quod sit cognoscitiva, & juxta gradum immaterialitatis est gradus cognitionis.* Sed hæc forsân per se liquent, adeoquè ceu certa suppono. Ad intellectum verò non merum theoreticum, sed dein & practicum refertur *Conscientia* nostra. Rem si spectes, unus est intellectus, qui tamen pro Objecti finisquè diversitate in theoreticum & practicum dispe- sci poterit; ille Solius veritatis gratia principia theoretica contemplatur; hic propter operationem practica cognoscit, hinc & ipse practicus salutatur. Spectat & *Conscientia* ad voluntatem, quatenus obtestatur, detestatur, exhila- rat. Demum nec ab ipsa memoria aliena est *Conscientia*, quoad illa, quæ de factis dicitur, reminiscenciam necessariò supponit. Brevibus: *Conscientia* (in actu secundo) est *agitatio mentis & memoria, consistens in indubitata notitia, recordatione, serio examine & judicio cogitatorum, dictorum, factorum, indu- sens vel gaudium, vel dolorem.* Hoc attendenti ex Suppositis patebit, nec in bruta, nec in Deum cadere *Conscientiam*, quod non gratis, sed adversus quos- dam Sinistrè philosophantes, monemus.

§. 3. *Delictum* generatim dicerem præscriptæ legis observandæ trans- gressionem. Ebraicum חַטָּאת non idem exprimit, quod latinum, deli- ctum, sed subest distinctio. Eni delictum transgressionem in se, חַטָּאת quatenus proximum offendit sistit. Alias græca μαρτυρία , μαρτυρία , & c. idem dicunt quod latinum delictum. Dividi solet delictum in *verum*, & *quasi delictum*, quæ distinctio vocis est, non divisio rei, si politicum forum, & interpretes juridicos attendas. Quatenus tamen *quasi delictum* describitur per illud, quod non scienter & consultò, sed per imperitiam seu alium ca- sum, committitur, hòc simul supposito, commissum illud nefas esse, verissi- mum est delictum in Theologicis, etsi non juridicis, ligatquè in foro, si non Soli, poli tamen, cum & involuntariæ transgressionem in censum nefariorum veniant, quod rite Orthodoxi ex 7. Rom. aliisquè Codicis partibus, notare so- lent. Eadem hæc suo Seculo *Augustinus* præ aliis egregie *Comiti Juliano* monstrabat. Tum & hoc notandum incidenter, de vocula *quasi*; Licet hæc latina notio similitudinem urgeat, græcum tamen $\omega\varsigma$ vel $\omega\sigma\epsilon\iota$ in profanis ac N. T. non semper notat similitudinem meram, Sed aliquando omnigenam rei convenientiam & ipsam veritatem, vid. *B. Glassius in Philol. Sacra lib. 3 tract. 5. Canon. 28.* Hinc & illa Luc. 22. vers. 44. $\epsilon\gamma\acute{\iota}\nu\epsilon\tau\omicron$ $\delta\epsilon$ \omicron ι δ ρ $\omega\varsigma$ $\alpha\upsilon\tau\acute{\omicron}$ ϵ ι σ ϵ ι δ ρ μ β α ι α ι μ α τ \omicron κ α τ α β α ι ν \omicron ν ϵ τ ϵ τ α ν τ η ν η ν , non evertunt, Christum vere Sudasse sanguinem; ac si $\omega\sigma\epsilon\iota$ δ ρ μ β α ι α ι μ α τ \omicron non sanguinem, sed san-

sanguini aliquid haut absimile dicant, ut *Hugo Grotius* suo more hic splendide nugatur. Etsi verò præter Patrum quosdam *Theophylactus* verbalem attributionem hic agnovisse modernis dicatur, (quæ & mens erat *B. nostri Mülleri*, ut ex ejusdem *Jesu patiente* observavi) Si ipsum tamen conferamus *Theophylactum*, advertimus quidem ab eodem Suppositam paroimiam, sed haut meram verbalem, realem potius rei vehementiæ exprimendæ inservientem. Audiamus ipsum de sudante Jesu gravissimè differentem enarratione in cap. 22. *Luc.* ἄχι λεπταῖς νοῖσι, καὶ οἷον ἐν δάξῃ καὶ ἐμφαινομένοιαι, ἀλλὰ ἀσαγύσι ἀδρῆσι ἰδρῶτα πλεσύνετο. Ex quibus explicite patet, adstruxisse *Theophylactum* verum patientis Jesu Sudorem Sanguineum. Ipse enim prædicta dein determinat per τῆς τῶν αἱμάτων θεόμβρε, vid. cit enarr. Hoc ut merum veneramur miraculum, licet otiose quidam philosophantes reclament. Cessat sanè ratio, nec audienda hic sunt argumenta ex *Aristotele*, damnatò illò *Ethnicò*.

KATAΣΚΕΥΗ.

§. 1.

Schismate, utut metamorphosis in melius prætendatur, obligatur tranquillitatem rumpentis *Conscientia*. Dicitur *Schisma* ὁπὸ τοῦ σχίσεν, dividere, unde profanis rimam vel Scissuram cujusvis rei notare solet. Quo sensu notio hæc sit biblica patet ex cap. II. I. Cor. v. 18. 19. cum Paulus futilem disceptationem, ipsam hæresin inducentem, *Schisma* appellat. Ita ibidem: ἀκῆα χίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχουσιν, καὶ μέγα ἐστὶν πένθος. Δεῖ γὰρ καὶ αἰρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, ἵνα οἱ δοκιμοὶ φανεροὶ γίνωνται ἐν ὑμῖν. Sensu Ecclesiastico *Schisma* hodie est contentiosa dissensio ab Ecclesia, in rebus fundamentum fidei & salutis non attingentibus. *Schisma* hoc quomodo, accurate loquendo, contradistingvatur hæresi, ex definitione hujus constabit fusius. Licet, fatente *Augustino*, difficile sit definire hæresin, dicitur tamen hodie Accuratis, error hominis professione Christiani, verbo Dei contrarius, fidei & salutis fundamentum penitus evertens, vid. *Excellentissimus Michaël Waltherus* in dict. *Theol. ad Theol. posit. Köningj.* Etsi ergo *Schisma* ab hæresi differat, frequenter tamen ex inveterato *Schismate* exitiosa prodiit hæresis, ut tot probarunt lusus tragici. Est autem impræsentiarum *Schisma* nobis contentiosa dissensio (sive in politicis sive Ecclesiasticis) à Sciolo quodam per judicii abusum mota, novationis studio. *Schisma* talismodi exitiosum esse, vel me tacente, loquuntur tot exempla, *Marj, Merelli, Sylla, Julij, Pompeji, conf. Histor. Rom. ut alia non tangam.* Tum maximè obligat conscientiam, rupturam,

ram, inimicâ naturâ, invehere. Notanter Cicero l. i. de offic. paci, quæ nihil infidiarum habet, semper consulendum. Item: Nihil est tam populare, quam pax, quæ non modò ii, quibus sensum natura dedit, sed & tecta & agri mihi letari videntur. Ejusmodi naturalia novationis studio infringere, naturaliter ligat Conscientiam. Licet intendatur præsentis mali emendatio, Schisma tamen & privatam rupturam! ceu medium inconueniens rejicimus. Sanè & hic illud militat; non sunt facienda mala, ut exinde eveniant bona. Si olim vi tor. tit. c. quæd. lic. unic. fin. judic. se vindic. l. 3. ff. de I. & I. l. i. c. unde vi, turbatorem pacis ac jurisdictionis propria auctoritate illicò expellere concessum erat, idem sanè procederet de Schismaticò quòdam, cujus temerario ausu, publicæ leges, ipsaqvè magistratus jurisdictio perturbantur. Etiam si ergo dicta ratione, Schismate Conscientiæ inuratur nota, Magistratus tamen denegando pressis justitiæ administrationem legitimam, & hac ratione plebejis ad Schisma viam pandendo, vel graviter vulnerat Conscientiam.

§. 2. Obligatur Conscientia homicidio quovis casuali. Est homicidium nobis hominis internecio, vel exanimatio violenta, privata. Alii definire malunt per dolosam exanimationem, arg. l. i. L. 16. ad leg. Corn. de Sic. Unde aliquis: dolus omninò supponitur, scilicet in homicidâ, quod enim citra intentionem sit, adeoq; nec dolum conjunctum habet, minimè homicidium dicimus. Nimirum subtiliores quidam distinguere amant inter homicidium & hominis occisionem, illud & dolum supponere & peccatum esse, hanc non ita adstruunt. Ast λογμαχία est mera, quæ nec ipsis juridicis cunctis arridet. Citatis interim locis, jus innuit homicidium in externo foro culpabile ex dolo malo profectum, præter hoc dari & aliud non dolosum, præter bardum vix aliquis negat. Per hominem autem & feminam hoc loco intelligimus, quæ gratis sanè improprie dicitur homo, ut alias Wesenbecius ludere videtur. Ita enim ille ad Tit. ff. ad l. Corn. de Sic. n. 5. homo de viro proprie accipitur, ergo procul dubio de femina improprie. Nec intendit illud Paulus J Cens l. 38. ff. de pænis §. 5. ad. fin. cum hominem à muliere distingvit, πῆλτος potius & κατ' ἐξοχήν hominis notio masculino imponitur Sexui, ergo per te feminæ improprie erunt homines? Scilicet sic sat crasse ludis. Prærogativa sanè & præcellentiæ gradus non evertunt præcise eandem rationem specificam. Sexu, largior, essentia etiam, non autem specificâ, numerica duntaxat (& hæc differentia est essentialis) differunt mas & femella. Et homo dicitur ille, qui adhuc in utero latitat, nascendus enim ejusmodi, potissimum ratione eorum, quæ commodum inferunt, pro nato habetur, per l. 26. de stat. hom. Horum omnium exanimatio violenta, privata, quin & exanimationis hujus
quæ.

quæcunqve suppeditata ansa, si forsan moraliter egerit homicida, *homicidium*
 dicitur. *Casuale à casu* ducimus; Philosophicè, potissimum hodiè, *irrationalium*
influxum, cum scilicet effectui adheret aliquid præternaturale, casum
dicimus. Hic casus fortunæ, vel fortuitæ causæ solet contradistingvi, cum
effectui procedenti à causa libera præter intentionem adhaeret aliquid. Ex fa-
 cto, fateor, mero vulgus (quod infero) physicorum ad Solam Somatologi-
 am casus fortunæqve restringit evolutionem. Rectius longè Accuratiores
 quidam casum & fortunam in actu signato ontosophiæ assignant. *Hinc*
præcellentissimus Pascha in Ontologicis disputatis Diss. de Causa & causato
Sect. 1. Axiom. præcep. 2. S. 7. Divisio causæ in fortuitam & casualem à qui-
budam ad physicam trahitur, ibidemqve ut subdivisio causæ efficientis corporis
naturalis per Accidens proponitur. Sed nescio quo jure, cum exhauriat to-
tam latitudinem causæ per Accidens in genere efficientium. Accedit quod ple-
raqve exempla tum causæ casualis, tum causæ fortuitæ, effectus non naturales
exhibeant; Quid est commercij cum his in Physica? H. I. Cæterum in jure
 accipitur casus vel generaliter, tumqve exprimit facti speciem, quam hypo-
 thesin, negligentiam, qualitatem, &c. dicere amant, per leg. 4. l. 10. ff. de leg.
 vel specialiter, tumqve casus fortuitus est, qui à nullo prævideri potest. Hoc
 demum sensu, dolo malo, item culpæ, sive levis, sive levissima, sive lata sit,
 ut vulgo dici solet, contradistingvitur casus. Hæc ultima juridica casus ac-
 ceptio ferè est nostra; ferè, inquam, non enim quodvis casuale homicidium
 levissimam respuit culpam, quod prævia in homicidio examinanti patebit a-
 liquando clarius. Philosophicus ergo casus hinc nobis est alienus, cum influ-
 ens homicida semper sit rationalis. Duplici verò ratione, ansam si species,
 homicidium committitur Casuale. Aliquando rei illicitæ datur opera. v. g.
 Si ebrius, vel alius forsan temerariâ jaculatione, aut sclopetorum explosione
 prætereuntem vel obvium perimat. Nonnunquam, quod potissimum ur-
 geo, homicida circa licita versatur, prævia si species: exemplum ipse suppeditat
 Deus Deut. 19. v. 5. **אֲשֶׁר יִכֹּחַ אֶת-רֵעֵהוּ בְּעֵר לְחַטָּב עֵצִים**
וַיִּדְחֶהוּ יָדוֹ בְּגִרְוֹן לְכֶרֶת הָעֵץ וַיִּשְׂרַח הַבְּרֹחַ מִן-הָעֵץ וּמִצֵּי-
אֶת-רֵעֵהוּ וּמֵת הוּא וְנוֹס אֶל-אֶחָת הָעָרִים הָאֵלֶּרָה וְרָחַץ
sonf. antec. Hoc homicidium posterius peccatum esse, vereq; obligare Conscien-
tiam pernegant Scholastici & alii, vid. Amesius l. 5. de Cas. Consc. c. 31. qv. 7. p. m.
346. Toletus de instruct. Sacerd. l. 5. c. 7. p. 472. Longè accuratiùs magnus
B. Chemnitius part. 2. LL. de vindic. p. 155. Diligenter hoc notandum est,
quod Lex divina casuale homicidium in foro politico quidem à pœna absol-

B

vat,

vat, non tamen quasi bonum opus, vel indifferens in foro Conscientiæ illud
 commendat. jubet enim talem homicidam confugere ad Civitatem refugii, &
 ibi manere usque ad mortem Summi Pontificis: quod si ante mortem ejus exi-
 erit, occidi poterit, si verò expectarit mortem Pontificis, liberè potest in suam
 Civitatem reverti. Voluit autem Deus sine dubio significare, talem homi-
 cidam non debere sibi blandiri, quasi re bene gesta, propterea quod à pœna Ci-
 vili sit exemptus; sed in foro conscientiæ confugiendum esse ad mortem Me-
 diatoris, & petere remissionem & reconciliationem cum Deo; quod si non cu-
 rarit, reus erit sanguinis. Consona his reliquit Brochman in Syst. Theol.
 Tom. 2. p. m. 56. quæst. 2. Sed dixeris forsan ex his elucescere obligationem
 conscientiæ verè Christianæ; Sermonem autem nostrum esse de conscientia
 & non-renati. Sit ita! Sanè prædicto homicidio & bujus læditur conscientia.
 Nam hominis internecio privata in se mala est, ut per naturam novimus.
 Hinc natura, loquente ita Seneca, est everso & oppugnatio. Platoni lib. 9.
 de LL. explicite peccatum dicitur. Ergo ceu in se malum quodvis Casuale
 homicidium obligabit Conscientiam. Taceo quod nullum ferè detur homi-
 cidium, in quo non, si præliminaria accuratius discutias, vel supina negli-
 gentia, vel levis obviet culpa. Cuncta hæc conscientiam ligant. Et quid
 compunctiones iniquorum homicidarum, etsi insimul paganorum, quas
 ex commisso fortuito homicidio persenserunt ad vitam, clarius evincunt,
 quàm obligationem Conscientiæ? De his ac similibus Historiæ ac Annales
 temporum conferantur.

§. 3. Moderamen inculpatæ tutelæ, vel ad rigorem juris normatum
 in foro poli aliquando, ut delictum obligat. Notionibus Synonymicis mo-
 deramen hoc appellatur necessaria defensio, germanicè eine Noth-Wehr.
 Dicitur communiter imminentis & presentis periculi à jure approbata propul-
 satio, arg. l. 3. ff. de just. & j. l. 1. C. unde vi. *Κενηρα* moderaminis hu-
 jus præ aliis celebratissimus Theologus citatus Brochmannus rite enodavit. Au-
 diamus illum Tom. 2. Syst. Theol. quæst. 3. p. 56. Sic differentem: Ad mode-
 ramen inculpatæ tutelæ requiritur (1.) ut invasor contra justitiam nos impetat &
 invadat. (2.) ut invasio sit subitanea & adeò violenta, ut non possimus cedendo
 fugiendove nos tueri, sed inevitabili necessitate incumbat nobis vim vi opponere.
 (3.) in ipso Congressu, non autem eò finito, defensio fiat. (4.) ne ad eadem profi-
 liatur, si mitior & tutior conceditur defensionis ratio. (5.) Adsit intentio non
 ultionis & cadis, sed defensionis. Hæc fat accuratè. Prædicta necessaria de-
 fensio, ex mente quorundam Interpretum, conceditur etiam adversus Magi-
 stratum, ejusque Officiales, maxime si vitæ inferatur vis, arg. (quod dicitur) §.
 ult.

ult. instit. de leg. agrat. tut. &c. Sunt ex modernis, ut ipse legi, qui modera-
 men hoc ne liberis quidem in vitæ periculo constitutis cum parentum interne-
 cione denegant: quibus tamen maximè & non-Christiana Conscientia obli-
 gatur. Accuratè Plato lib. 9. LL. Filio, ne pro defensione quidem sua, si à pa-
 rentibus se videt interfectum iri, lege ulla conceditur, ut parentes, à quibus in-
 lucem est editus, interimat; Sed omnia potius sustinere præcipitur, quam quic-
 quam hujusmodi facere. Ex mero Naturæ dictamine hæc innotescerant.
 Etsi ergo in judicio externo, & coram eodem, immunis ducatur ejusmodi oc-
 cisor, internus tamen judex hic longè aliter judicat. Et quem latet illud præ-
 ceptum: *honora patrem & matrem, non revelatum duntaxat, sed & conna-
 tum esse, cujus violatio, ut delictum naturaliter obligat Conscientiam?* Ex eo-
 dem Capite improbamus priorem Suppositum Casum, de *moderamine incul-
 pata tutela* adversus Magistratum à juribus Concessum, vel cum sanguinis ef-
 fusione, instar enim parentum Magistratum colendum esse natura edocet.
 Sed proponamus alium casum! Aggrediatur Te ebrius, vel alius notoriè fla-
 gitiosus; Constituaris in extremo vitæ periculo, locumne habet hic, citra ne-
 fas, inculpata tutelæ moderamen? Minimè reclamant leges, adstipulantur
 Doctores omnes; modestè, fateor, dissentio. Si eo puncto, theologicè loquen-
 do, de gratiâ Dei propriâq; salute fueris certus, satius est, violentâ morte red-
 dere Deo Spiritum, quàm ebrium, vel nefarium alium, vi subitanæ interem-
 ptionis ad tartara irrevocabiliter detrudere. Tuâ sanè culpâ aliàs tum peri-
 bit anima: ipse exquisitissimos infernales cruciatus promotes, hem dura!
 quicquid sit de legibus forensibus. Hic præcipuè videatur B. Müllerus in
 germanico libello aureo, cui titulus, *geistlicher Danck-Altar*: ad calcem
 citati libelli inter duo *ζητήματα* & nostrum propositum dubium satis est
 discussum; maximè ergo hic conferatur die zivente Frage: *Ob ein Christ
 da er von einem trunckenen Bolde &c.* Novi, præter alios, & hic insignem
 Theologum, Auditorio suo eruditè, ut solebat semper, idem proponentem.
 Et penitus attendenti patebit clare, vel seposito Codice sacro, naturam idem
 ferè suggerere. Accuratius procedam; (1.) edocet natura animæ immor-
 talitatem, hæc enim per rationem Spiritualem, in essendo ac existendo ta-
 lem cum materia haut peribit, ut brutorum forma; fusiùs de his in pnevmati-
 cis ac phycis. Hinc Cicero 1. Tuscul. quest. ut Deos esse naturâ opinamur,
 qualesq; sint ratione cognoscimus, Sic permanere animam arbitramur, consensu
 Nationum omnium. Aristoteles (hic permultis animæ immortalitatem negasse
 dicitur, sed gratis) lib. 1. de anima c. 1. 2. m. 13. εἰ ἐστὶ ἡ τὴ ψυχῆς ἔργον, ἢ
 πνευμάτων ἴδιον, εὐδέχοιτ' αὐτὴν χωρὶς σώματος. Si est aliqua anima o-
 peratur

peratio, aut passio propria, continget utiq; eam separari; tumq; separatim à materia existet, ut idem largitur Philosophus. Nec ex Patriarcharum relatione, quod falsò ab aliis infertur, sed propria indaginis ope, Ethnicis hæc innotuerunt. (2.) Suggestit connatum lumen animarum post mortem diversitatem, pro diversissimo ex hac vita discessu: vix enim ac ne vix quidem, citra futura præmia, vel ullam retributionem supremæ mentis (Deum Ethnicis ita frequenter salutabant) justitia servatur. Præ aliis hic videatur *subtilissimus L. Annæus Seneca*; addatur *Johannes Schottus Pontificius in tract. de natur: mentis humanæ vigore ac acie. p. 11. 12. & seqq.* Doctrinam verò hanc de statu animarum post mortem vel Sapientissimi Ethnicis nugis variis densè conspurcabant, ut hodiè ferè Persæ ac Turcæ. His ita suppositis, absq; ulla revelatione naturalis monstrat Theologia *sceleratos in ipso flagitio abeuntes perire, cujus culpa, si residet penes nos, procul dubio naturaliter obligatur conscientia: quod monstrandum.* Etsi ergò, teste Cicerone, *propriam salutem adversus vim & infidas etiam cum nece alterius conservare ac defendere possim*; hæc tamen, aliaq; haut dissimilia, cæteris paribus, & à nobis jam præsuppositis rectè in simul consideratis, procedere largimur: Concedendo & hoc nimis liberè de substrata re vel olim scripsisse Ethnicos, quos, quoad exorbitarunt, minimè curamus.

§. 4. Solet à juribus nostris *tutela conservanda pudicitia*, quæ à variis ad prælibatum moderamen restringitur, per alios ab eodem Secernitur, *cum internectione stuprantis*, denegatâ fugâ, approbari ex rescripto *Divi Hadriani per l. 1. §. pen. ff. ad leg. Corn. de Sic.* At dispar est ratio virginitatis ac vitæ, dispar ergo dispendium. Utut centies in foro soli absolvatur ejusmodi pudica, & vel ex mundanorum, scilicet sat sobriè judicantium, dictione auream mereatur statuum, mordax tamèn conscientia commissum nefas nunquam non urgebit, perlentiet enim quovis temporis tractu, ut loquuntur *Exempla ejusdem farinae*, internas cordis compunctiones. Quæ de furis nocturni, adulteri, aliorumq; exanimatione sint statuenda, ac quousq; hic procedendum, ad oculum antecedentia conferenti patebit. Conscientiam factam tectamq; conservaturus leges non tam à *Justiniano* latas, quàm à summo Imperatore menti nostræ inditas altius volvat ac revolvat, tutissimus tum erit & in poli foro.

§. 5. *Mendacio*, quod *officiosum* dicunt, dextrè judicantium communi ferè suffragio obligatur conscientia, quod rectè statuitur. *Mendacium*, generatim loquor, *est dissensus fallax cordis ab ore, reliquisq; exterioribus.* Dolus malus formale suppositum, ut ita dixerim, est cujusvis mendacii.

dacii. Dolus malus, inquam, forsân enim & bonus datur dolus, ut ex philosophorum Philosophorum mente in jure distingvere amant. Mentendo verò vel plus, vel minus dicitur justò, hinc generaliter poterit mendacium dispesci in jactantiam & dissimulationem. *Jactantia est mendacium illud, quo aliquis vel sibi, vel aliis plura & majora, quam par est, tribuit: Dissimulatione, contra, nobis, aliisve aliquid detrahimus, adeoque justò minus tribuimus.* Hæc divisio mendacii est in suas quasi species. Ast cum mendacium aliud dicitur officiosum, aliud jocosum, aliud perniciosum, distinctio est vocis, largior, non divisio rei, cum jocosum ac officiosum definitionem peccati non participant. Cæterum mendacium jocosum illud potissimum, quod futilia promit, ceu vitium rejicitur à quovis Moralistarum, sub nomine scurrilitatis, quæ vel ita dicitur ab Ebraico קרש, vel à græco κωμῆ; quo vitio laborasse dicitur Cicero, Marco crasso ex opposito rusticitatem adamante, ut B. Wellerus observavit in *Oratione de moribus quorundam veterum Excellentium Romanorum. p. 5.* Quod mendacium officiosum concernit, licet remotus sit fucus, adeoque nec verum sit mendacium, ob dissensum tamen cordis ab ore, reliquisque externis, qui contra naturam est, ut alia taceam, omnino illud improbamus. Patebit ergò ex dictis quid de hisce Excellentissimi cujusdam sit habendum: *Veracis est non tantum dicere vera, sed sæpius ea celare, & vel contraria proponere, imprimis si exigat salus publica, vel privata, sive nostra, sive alterius.* Et paucis interjectis: *Quando animo non fallendi reticemus vera, ac ad mala evitanda promimus à mente nostra aliena, nec veracitas infringitur, nec conscientia leditur.* Hæc non arriident. Dissentiunt hic varii Theologi, vid. Dietericus in *Cateches. ad præcept. 8.* Brochmannus in *Syst. Theolog. tom. 2. p. 68. &c.* Demum addo ex non-servata promissione simplici, ut ut vi extorta, modo de possibilibus sit concepta, *naturaliter ligari conscientiam.* Abeunt tamen & hic Moralistæ ad varia atque diversa.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ.

§. 1.

NOvi Subtilissimas mentes, quæ Sobriè de Deo philosophaturæ Summo nostro *Conceptus formales, rerumque ideas verè* (cessat enim hic & proportionis & attributionis extrinsecæ analogia) assignare piaculum ducunt, supponendo tum demum Summum Numen ex subjecto & adjuncto componi necessariò. Maximè rejicio absolum illud: *Deus ex*

B 3


Sub-

Subiecto & adjuncto est Conflatus, ut aliàs audacter nimis nugatur Vorstius in Tract. de Deo p. 209. ex eo id probaturus, quia multa & varia in Deo sunt decreta, quæ non possint esse cum ipso Summo essentiæ ejusdem, cum hæc, supponente ipso Vorstio, sit unica & simplex: colligit ergo decreta esse in Deo, & à Deo, ut actiones in & ab agente, adeoquæ adjuncta evicta esse gloriatur. Sed gravissimè errat. Distingvas hic necesse erit inter decreta Subjectivè & objectivè spectata, priori sensu non varia sunt, sed ipsa gaudent essentiæ unitate numericâ, utpote quæ hoc sensu dicunt Deum decernentem tumquæ cum essentia materialiter, ut ita loquar, identificantur; Posteriori ratione largior pluralitatem variamquæ rationem, quoad objecta scilicet, sed, fateor, præter rem Compositio realis in ipso Deo ex eo colligitur. Nec ex asserto nostro: *Deus verè sovet omnium rerum ideas, vel conceptus formales*, excogitata à Vorstio Compositio incrustatur. Maximè, prædictis nostris salvis, purissimus & simplicissimus actus manebit Deus.

§. 2. In meliorem intelligentiam notamus: (1.) Platonicas ideas planè nullas esse, si intellexerit per easdem *ἐξηρημέναις τῶν ὄντων, καὶ ὑφεσώσασαι ὑπάρξεις*, naturas separatim à rebus existentes: ac si universalia actu à singularibus ceu sejuncta servari possint, quod nullum. Si verò ideæ Platonice exponuntur per *νοήσεις θεῶν αἰώνιαις ἢ καὶ αὐτοτελείαις*, hoc est, *notiones Dei æternas ac in se perfectas*, dubio procul tolerari possunt, innuuntquæ idem, quod impræsentiarum nos intendimus. Ita præter alios, ex Patribus Augustinus platonice de ideis mentem interpretatur. Prodeat ipse Augustinus: *Quis aut religiosus, loquitur, aut verè religione imbutus, quamvis nondum possit hæc intueri, negare tamen audeat, imo non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumquæ in suo genere propria quadam ratione continentur, ut sint, Deo autore esse procreata, eoquæ autore omnia quæ vivunt, vivere atquæ universalem rerum incolumitatem, ordinemquæ ipsum, quo ea quæ mutantur suos temporales cursus certo moderamine celebrant summi Dei legibus contineri & gubernari? Quo constituto atquæ concesso, quis audeat dicere, Deum irrationaliter omnia condidisse? Quod si rectè dici & credi non potest, restat, ratione omnia esse condita, nec eadem ratione homo, quæ equus, hoc enim absurdum est æstimare: Singula ergo propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quicquam positum intuebatur ut secundum id constitueret, quod constituebat; nam hoc opinari Sacrilegum est. — — Atquæ has rerum rationes principales appellat ideas Plato, vid. l. 83. Q. quæst. 46.* (2.) Conceptum formalem nec qualitatem, nec exinde resultantem actum, motumquæ finitum, ut in nobis aliàs,

aliàs, inſinuare; cum Deo applicatur. Exprimit potiùs *exemplar internum*, philoſophicè loquendo, *ad quod cœu ab æterno in divino ſinu exiſtens, hæc illave Summus operatur ac producit.* Nec nova eſt hæc doctrina de *Conceptibus formalibus* vel rerum *ideis* verè & formaliter in mente divina exiſtentibus: Suo Seculo prolixè Satis de hiſce diſſerebat Auguſtinus, ut antea auditum. Addantur alia huc collimantia ex *lib. 83. quæſt. q. 46. ideæ ſunt principales formæ vel rationes rerum ſtabiles, atq; immutabiles, quæ ipſe formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, & ſemper eodem modo ſe habentes, quæ in divina intelligentia continentur;* Adjungatur B. Lütkeſmannus in mundo ſuo intelligibili. Idearum, harum fere, ex priſcis etiam Sophis mentionem fecerunt *Socrates, Plutarchus, Cicero, Seneca, & Ariſtoteles ipſe &c.* Ex Succincte ergo dictis conſtabit, *ſalvâ omni Conſcientiâ, Deo verè tribui rerum ideæ, vel Conceptus formales.*

Hæc B. L. impræſentiarum de *obligatione Conſcientiæ ex delictis* coordinare placuit. Reſtant plura, fateor, fuſiùs enim hujusmodi & haut abſimilia dubia limari poſſe vix ac ne vix quidem rite perpendens rem inſiciabitur. At exercitium intendimus academicum, cui vel dicta ſufficiant, ducentes, quod olim B. D. *Jacob. Martini de pædia logica, in præſamine ejusdem ad calcem ferè: relictam adhuc eſſe alicui* (fuſius ſcilicet hæc, vel noſtro Seculo decenter vix enodata, ad rationis rectæ trutinam ſine præjudicio evolventi) *materiam gloria, quam flagitamus & nos, Sed Soli Deo tribuendam.*



Quæ verè vincit, *verax ſententiâ Mentis*
 Adverſæ frontis congreſſum rite parabit.
 Servetur cures PAMPI *Mens conſcia Recti!*
 Tum Felix diſces ſtudii contingere metam.

ἀνυμνεῖται, deproperabat

PRÆSES.

Weil

Weil Er/ Vielgeliebter Freund/ zum Valet wil disputiren/
Und jetzt den gelehrten Kampff mit dem Musen-Volck vollführen-
So wird billig mir obliegen/ Ihm zu wünschen Kraft und Stärck/
Damit wohl von statten gehe/ dieses angefangne Werck.
Und hiernegst verleihe G.Dt/ als Patron von unserm Glück/
Daß sich/ was Er ferner thut/ nach der Zeit gefällig schicke.
Sein Beginnen sey beliebt/ Sein Bemühen sey bequem/
Sein Verrichten sey erfreulich/ und sein Sorgen angenehm.
Also reis' Er glücklich fort! Wil Er diese Stadt verlassen/
Wird Er sich ein Denckmahl doch/ in das Herze ferner fassen;
Weil man bey dem lieben Orte/ manch Gedächtniß auch empfindt/
Daß wir stets am Leib' und Geiste/ mehr als treu versorget sind.


Dieses setzte aus Schuldigkeit


Christianus Joachimus Scharffenberg/
LL. Studios. Meckl.


Du hast/ mein Wehrtester/ vor kurzer Zeit gelehret/
Wie von so vielen wird die heil'ge Schrift verkehret/
Da du insonderheit uns legetest klärlich dar/
Was Eva hatt' gemeint/ als Sie das Kind gebahr
Den Cain ihren Sohn/ da Sie herausgebrochen:
Ich hab den Mann/ den HERM; so freudig Sie gesprochen.
Nun aber redestu/ was das Gewissen bind't/
Und was dazu gemäß im Herzens-Recht sich find't
Drümb lob ich deinen Fleiß/ den du uns jeko zeigest/
Da du im Rosenstock dich zu den Musen neigest;
Ich wünsch' indessen Glück von Gottes eingen Sohn/
Damit du dermahleins erlangst die Sieges-Krohn!

Mit diesen wenigen Zeilen hat dem Herrn *Respondenti*,
als seinem wehrteschätzten Freunde/ da Er zum
anderrmahl rühmlichst disputirte/ in Eyl gratu-
liren wollen

David Rasche/ S. S. Theol.
Studiofus.







the scale towards document

agnat. tut. &c. Sunt ex modernis, ut ipse legi, qui moderat-
s quidem in vitæ periculo constitutis cum parentum interne-
quibus tamen maximè & non-Christiana Conscientia obli-
è Plato lib. 9. LL. Filio, ne pro defensione quidem sua, si a pa-
nterfectum iri, lege ulla conceditur, ut parentes, à quibus in-
nterimat; Sed omnia potius suslinere præcipitur, quam quic-
facere. Ex mero Naturæ dictamine hæc innotescebant.
o externo, & coram eodem, immunis ducatur ejusmodi oc-
nen iudex hic longè aliter judicat. Et quem latet illud præ-
natrem & matrem, non revelatum duntaxat, sed & connat-
olatio, ut delictum naturaliter obligat Conscientiam? Ex eo
obamur priorem Suppositum Casum, de moderamine incul-
us Magistratum à juribus Concessum, vel cum sanguinis ef-
im parentum Magistratum colendum esse natura edocet.
alium casum! Aggrediatur Te ebrius, vel alius notoriè fla-
uaris in extremo vitæ periculo, locumne habet hic, citra ne-
celæ moderamen? Minimè reclamant leges, ad stipulantur
modestè, fateor, dissentio. Si eo puncto, theologicè loquen-
roprias salute fueris certus, satius est, violentà morte red-
quam ebrium, vel nefarium alium, vi subitanæ interem-
irrevocabiler detrudere. Tuâ sanè culpâ aliàs tum peri-
xquisitissimos infernales cruciatus promoves, hem dura!
gibus forensibus. Hic præcipuè videatur B. Müllerus in
aureo, cui titulus, geistlicher Danck-Altar: ad calcem
duo *ἑτήματα* & nostrum propositum dubium satis est
nè ergo hic conferatur die zwoyte Frage: Ob ein Christ
runcfenen Bolde &c. Novi, præter alios, & hic insignem
ditorio suo eruditè, ut solebat semper, idem proponentem.
enti patebit clare, vel seposito Codice sacro, naturam idem
Accuratiùs procedam; (1.) edocet natura animæ immor-
im per rationem Spiritualem, in essendo ac existendo ta-
haut peribit, ut brutorum forma; fusiùs de his in pnevmati-
Hinc Cicero 1. Tuscul. quæst. ut Deos esse naturâ opinamur,
ne cognoscimus, Sic permanere animam arbitramur, consensu
n. Aristoteles (hic permultis animæ immortalitatem negasse
lib. 1. de anima c. 1. 2. m. 13. εἰ ἐστὶ τὸ τὸ ψυχῆς ἔργον, ἢ
ἐδέχοντ' αὐτῆν χωρὶς σώματος. Si est aliqua anima o-
perat-

B 2